

Bulla Synodi Basiliensis, in qua continentur certae declarationes dispositive, de auctoritate eiusdem sacrae synodi, universalem ecclesiam Catholicam representantis

102

Sacrosancta generalis Synodus Basiliensis, in Spiritu sancto congregata legitime, universalem ecclesiam representans, ad perpetuam rei memoriam. Sicut una est Christi ecclesia, quae ut ait Apostolus est columpna et fundamentum veritatis; sic omnia ecclesiae membra unitatem semper observare necesse est, in professione Catholicae veritatis, atque fideliter et firmiter credere, quidquid per ipsam ecclesiam de veritate fidei fuerit declaratum: ut non sicut parvuli fluctantes circumferantur omni vento doctrinae, aut per repugnantium dogmatum varietatem in divisiones et scismata prolabantur. Dudum autem in sacrosancta generali Constantiensi Synodo conveniens ecclesia Catholica, veritatem de generalium conciliorum auctoritate solenniter declaravit, deinde in hac sacra generali synodo Basiliensi, eandem declarationem, sub eodem qui sequitur tenore, innovavit. Primo: quod generalis synodus in Spiritu sancto legitime congregata, generale concilium favens, ecclesiam Catholicam militantem representans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet, cuiuslibet status vel dignitatis, etiam si papalis, existat, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem, ad extirpationem scismatis, et ad generalem reformationem ecclesiae in capite et in membris. Item declarat, quod quicumque, cuiusunque status, dignitatis, etiam si papalis existat, qui mandatis, statutis, sive ordinationibus, aut praecipis huius sanctae synodi, et cuiusunque

alterius

alterius concilii generalis legitime congregati, super  
premissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obe-  
dire contumaciter contempserit; nisi resipuerit, con-  
digne penitentia subiiciatur, et debite puniatur, eti-  
am ad alia iuris subsidia, si opus fuerit recurren-  
da. Cumque sic ut praefertur, quilibet, cuiuscunque  
dignitatis, etiam si papalis, existat, concilio genera-  
li in praedictis obedire teneatur; declaratum fuit etiam  
frequenter ac dilucide, quod ipsam generale concilium  
pro premissis aut aliquo premissorum actu congre-  
gatum, sine ipsius consensu, per nullum, quavis  
auctoritate, etiam si papali dignitate praefulgeat, dis-  
solvitur, transferri, aut ad aliud tempus prorogari pos-  
test. Et licet has esse veritates fidei catholicae satis  
constet ex pluribus declarationibus praecedentibus, tam  
in praefato Constantiensi concilio, quam in hoc Basi-  
liensi factis; ad maiorem tamen soliditatem et firmita-  
tem omnium Catholicorum, in unanimi professione veni-  
tatum ipsarum, haec sancta synodus diffinit et declarat,  
prout sequitur: Veritas de potestate concilii generalis uni-  
versalem ecclesiam representantis, supra papam et quem-  
libet alterum, declarata per Constantiense et hoc Basilien-  
se generalia concilia; est veritas fidei catholicae. Veritas  
haec, quod papa concilium generale, universalem ecclesiam  
representans, actu legitime congregatum, super declaratis  
in praefata veritate, aut aliquo eorum, sine eius consen-  
su, nullatenus auctoritative potest dissolvere, aut ad  
aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transfer-  
re, est veritas fidei catholicae, veritatibus duabus predi-  
ctis pertinaciter repugnans, est censendus haeticus. Da-  
tum in sessione publica in maiori ecclesia Basilien-  
si solenniter celebrata, decimo septimo calendae Junij,  
anno a nativitate Domini 1439 ~